



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XLVIII. Ptolemaei Chenni,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

- Tacit. Hist. lib. 5, cap. 2.** Idem habet Tacitus, atque id præterea, Judæorum exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda, proximas in terras exoneratam. Scribit ibidem Plutarchus ex Phrygum historiis, Typhonem filium fuisse Iſaaci, qui fuit Herculis filius, Comitem quoque eum adjungit Æthiopiſſæ Regina; hoc est, ut videtur, Sephoræ, quæ filia fuit Raguclis, horum locorum reguli, juxta Artapanum, Ezekielum, & alios; quæque Æthiopiſſa appellatur in libro Numerorum, hoc est Chufitis: nam Chus, quæ Arabia est, Æthiopia fere redditur ab Interpretibus. Pluribus id argumentum persecutus est Bochartus in Hierozoico.
- Num. 12. 1.** XLVI. Locum hic sibi vindicat Phylo Byblius Sanchoniathonis interpres, cujus opus ad Mosis libros esse expressum supra docuimus.
- Boch. Hieroz. Part. 1. l. a. c. 34.** XLVII. Huic subjungemus Galenum Pergamenum, qui quam pertinaciter Mosis adhererent Judæi, in opere De differentia pulsuum, quam pie etiam ac prolixè de infinita Dei potentia sentiret Mofes, obiter in libro De usu partium corporis humani significavit.
- Philonis Byblij, Galeni, Gal. De diff. puls. lib. 3. & De vi. part. lib. 11. cap. 14.** XLVIII. Fuit etiam hoc ævo Ptolemæus Alexandrinus, Hephæstionis filius, cognomento Chennus, cujus ineptissimum hoc commentum refert Phorius, Mofem Judæorum legislatorem Alpha fuisse dictum, quod vitilagine laboraret, quæ ἀλφός Græce appellatur. Veteri hac calumnia jamdiu ante Ptolemæum istum vexati sunt Judæi, confilasse ipsos agmen hominum impetigine ac lepris affectorum, atque collecta hac hominum languentium colluvie Syriam repetiisse. Hoc ipsis objecerunt Manethos, Lyſimachus, & Apion; Josephus vero confutavit.
- Chenni, Ptolemæi, Ihot. Cod. 190.** XLIX. Objecit id & Trogus apud Justinum; objecit & Tacitus, qui veram Mosis, totiusque Judaicæ gentis historiam infuscavit aliis plerisque figmentis; cujusmodi multa hoc tempore adversus Judæos, vulgo odiosam gentem, jactabantur. Sed tamen non tantum fama mendax potuit, ut penitus veritatem extingueret: multis illa siquidem, iisque illustribus sese in hac narratione Taciti prodidit indicis.
- Joseph. lib. 1. contr. Apion. Taciti, Tacit. Hist. lib. 5, cap. 3. & 4.** L. Haufit Plinius ex eadem mendaciorum face, quod de Mose scripsit, magicæ nempe cujusdam factionis auctorem ipsum fuisse. Haufit & Apuleius inter famulos Magos Mofem celebrans.
- Plinius, Apuleii, Plin. l. 30. c. 1. Apul. apol. 2.** LI. Lucianus quidem de Mose pertinaciter siluit; sed Mosaica tamen nonnulla habet, velut accuratam Diluviæ, & Arca historiam, quam se à Græcis accepisse ait. Multa quoque de Adonide & Ofiride narrat, quibus adumbrari Mofem suo loco à nobis demonstrabitur. At Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, & inter opera Luciani edi solet, Luciano licet videatur aliquanto vetustior, & circa Trajani tempora lucubratus, mundi creationem ipsis fere Mosis verbis narrat, eumque auctorem citat, & βεβαβύλωσον appellat, quod impeditoris esset & tardioris linguæ.
- Luciani, Lucian. De Dea Syr.** LII. Numenius autem Apameus, Pythagoricus juxta & Platonicus Philosophus, vir magni inter eruditos nominis, non apertam modo & explicatam Mosis injevit sæpe mentionem, sed suos etiam libros Mosaica doctrina locupletavit. Tradunt id Porphyrius, & Origenes; plurima vero assert Eusebius, unde id constare possit. Fertur imprimis hoc ejus dictum, τὴ γὰρ ἐστὶ πλάτων, ἢ μοῦσης ἀπὸ τῶν ἰσραηλῶν, quibus ingenue agnoscit Ethnicus Philosophus, Platonem illum qui à suis divinus appellatus est, dogmata sua à Mose sumfisse. Mofem præterea, non Prophetam solum dicit, ut testatur Porphyrius, sed Theologum etiam, & legum divinarum interpretem, ut ejus verba indicant, quæ recitat Clemens Alexandrinus. Alio loco Musæum eum nominat, Judæorum ducem, virum Dei precibus exorandi scientissimum, & calamitatum Ægypti auctorem.
- Numenii, Porphyr. De antr. Nymph. Origen. contr. Cell. lib. 4. Euf. De Περ. Evang. l. 9. c. 6. & 8. l. 11. c. 10. Clem. Alex. Strom. 1.** LIII. Longinus, Zenobiæ Palmyrenorum reginæ à consiliis & studiis, criticæ artis princeps, in aureolo libello ἐπὶ Μωϋσε, eximio Mofem elogio exornat; nam Dei potestatem pro dignitate cognovisse & elocutum fuisse ait: quippe qui, inquit, initio legum Deum dixisse scribat: Fiat lux, & facta est; Fiat terra, & facta est. Verumtamen quæ hic tanquam sublimia & ἐρημωπερῆ affert à Mose Longinus, ut ejus styli ἀδρότητα approbet, simplicissima sunt. Rem quidem narrat Mofes longe maximam, sed stylo λιτή. Atque hinc adducor ut credam, hæc aliunde Longinum accepisse: nam si ad ipsos recurrisset fontes, & Mosis libros evolvisset, summam deprehendisset ubique χαρμηλῆ ἰσρότητα, quam persecutum esse Mofem puto, propter dignitatem materiæ, quæ doceri contenta respuit omnem ornatum. Cum cæteroqui cognoscatur ex ipsius Canticis, & ex libro Jobi, quem ejus factum esse ostendam, in sublimi hoc genere dicendi exercitatissimum fuisse.
- Longini, Porphyrii.** LIV. Longinum audivit Porphyrius Tyrius Philosophus, qui res Judaicas tractavit peculiari opere, & scriptis à se libris pestiferis Christianos oppugnavit. Cujus